Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DE

DIFFERENTIIS IVRIS ROMANI ET GERMANICI IN HEREDIS INSTITVTIONE NECESSARIA

QVAM

EX AVCTORITATE ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

DOMINO

IOANNE TOBIA CARRACH, ICto,

IVRIVM PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

PRO GRADV DOCTORIS

D. IX. FEBRVARII, A. O. R. cIↄIↄCCLI.

H. L. Q. C.

PVBLICE VENTILANDAM EXHIBET

AVCTOR ET RESPONDENS

HENRICVS ZACHARIAS KÜPFER

TREMONIENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS IOANNIS GODOFREDI KITTLERI.

Biblioteca Nazionale V. E. III NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DE

DIFFERENTIIS IVRIS ROMANI ET GERMANICI

IN

HEREDIS INSTITVTIONE NECESSARIA.

---

§. I.

Quanquam iura, quae inter omnes hominum naturalis conſtituit ratio, apud omnes peraeque cuſtodienda gentes, ſimulque ſemper firma atque immutabilia ſint: ciuilia tamen iura, non in totum naturali iuri inſeruientia, licet nec in totum ab eo recedant, quaeuis respublica ſibi conſtituit propria, ſummusque imperans ſuae attemperat rei- Prooemium.

Digitized by Google

publicae vtilitati, quae ſaepe aut alia lege lata, prout e re illud eſſe videtur imperanti, aut conſuetudine, aut mutatione ipſius ſtatus ſuorumque principiorum mutantur. Non poteſt non magna iurium, tam naturalium et ciuilium, quam horum imprimis, partim pro rerumpublicarum, partim pro temporum diuerſitate, exinde oriri differentia; ſiquidem nec idem ſemper in eadem republica ius ciuile obtinet. Attendenda haec ſunt maxime in foris Germanicis verſaturo, quae partim communi omnium hominum iure ſub morum ſpecie vtuntur, partim vero ciuili, ſaepe mutato, tum proprio, tum quoque peregrino, ſed recepto. Tanta enim patrii iuris contigit mutatio ingruente canonico atque Romano, vt non magis aptum foret, ſi vbique Salicam legem, capitularia Regum Francorum, leges Ripuariorum, Burgundionum, Baiuuariorum, Alemannorum, Saxonum, ſimiles, ſi vetuſtiſſimos mores in forum deducere velis, ac ſi antiquas iuris Romani fabulas, quas IMPERATOR IVSTINIANVS in §. *3: Inſtit. Prooem.* exploſit, in forum produceres. Interea tamen mutatio facti eſt, qua non monſtrata, quod et quousque facta ſit, priſtinus perdurat ſtatus: nec enim in totum ſemper contingit mutatio. Quod apprime conſiderandum eſt, vbi patria peregrino iuri ſubſidiario principia aduerſantur. Et quantam quaeſo mutationem Romana ipſa experta non eſt iurisprudentia? Quapropter in legum Romanarum contemplatione, ſedulo habenda eſt temporis ratio, quo leges prodierunt: eaque cautione praecipue opus eſt in aeſtimandis *Pandectarum* legibus, vtpote

pote quae ſaepius veteris prudentiae ſcita poſtea ſublata referunt, vti perſpicue IMPERATOR ipſe §. 2. *et 4. Prooem. Inſt. et §. 11. Inſt. de nupt.* et paſſim indigitat; quanquam reliqui corporis iuris libri eadem cenſura veniant. Neque illae ſolum mutatae ſunt leges, quae diſerte vel abrogatae ſunt, vel quibus explicite aut obrogatum aut ſurrogatum eſt: ſed etiam illae, quibus vel lege ſcripta vel vſu derogatum. Sane principiis legum, aut lege ſcripta, aut iure non ſcripto, aut mutatione ſtatus reipublicae, aut alia de cauſa ratione finali adaequata ceſſante, ſublatis, ipſas ſimul leges, quae tanquam principiatum, vt Philoſophi amant loqui, inde promanarunt, mutatas eſſe ſequitur. Etenim *non poſſunt omnes articuli ſingillatim aut legibus aut ſenatusconſultis comprehendi: ſed cum in aliqua cauſa ſententia eorum manifeſta eſt, is, qui iurisdictioni praeeſt, ad ſimilia procedere, atque ita dicere debet,* monente IVLIANO *in L. 12. D. de L. L; nam, vt ait Pedius, quoties lege aliquid vnum vel alterum introductum eſt: bona occaſio eſt, caetera, quae tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione vel certe iurisdictione ſuppleri,* ſecundum VLPIANVM *in L. 13. D. eod.* Id ergo in tanta legum multitudine & varietate curae nobis eſſe debet, vt ſit conſenſus inter leges, quae ſunt concluſiones, aut quae ex iis porro deducuntur, et quae ſunt harum principia, ipſorumque principiorum indeque fluentium concluſionum inter ſe, pro mutatione in principiis contingente, quod ipſum indigitant, qui analogiam iuris conſiderandam inculcant, atque ex eadem iudicant. Minime enim praeſumen-

Digitized by Google

ſumendus eſt imperans, quod contradictoria et diſſonantia voluerit aut parum cohaerentia. Unde quidem *nouum non eſt*, *vt priores leges ad poſteriores trahantur. L. 26. D. eod. ſed et poſteriores ad priores pertinent: niſi contrariae ſint L. 28. D. eod.*

§. II.

Thema. Facilia quidem haec vtique ſunt ad intelligendum et non incognita: an vero recte ſemper applicentur, ſiue in doctrina iuris, ſiue in vſu eiusdem forenſi, dubito: imo quam valde hac via aberretur, ſaepiſſime pluribus comprobari poſſet exemplis, ſi vacaret. Aduertam ſaltem in praeſentiarum, vbi edendum ſpecimen inaugurale, animum ad vnicam *heredis inſtitutionis neceſſariae* cauſam, in qua aeſtimanda valde opus eſt, vt monita §. *praeced.* propoſita probe attendantur.. Cum enim hac in re ciuilia iura non omnino inſeruiant naturali, ſed nonnulla eidem addant et detrahant, quae ipſa non ſolum in Latio pro temporum diuerſitate variant, poſterioribus legibus partim veteris iuris placita diſerte corrigentibus, partim quoque eorum principia immutantibus, verum etiam ad Germaniam non penitus apta ſunt, aduerſantibus ſaepe iuris patrii rationibus: haud incongruum eſſe duco, *de differentiis iuris Romani et Germanici in heredis inſtitutione neceſſaria* diſſerere nonnulla, ſuccinctis quibusdam hoc in momento propoſitis obſeruationibus, ſecutus exemplum, quo DOMINVS PRAESES iam olim *de differentiis iuris Romani et Germanici in heredis inſtitutione volun-*

Digitized by Google

lantaria egit; quippe qui mihi ſimul otium iamiam fecit, in amoliendo praeiudicio, quaſi fruſtra in cauſa hac peregrini iuris de eiusmodi differentiis eſſem ſollicitus. Quo in negotio hoc vſurus ordine, vt praemiſſis paucis generalibus ad praemonendum neceſſariis, praecipuas ſpecialiores quasdam obſeruationes ſubiiciam: maxime ratione teſtatoris, heredis, materiae, modi inſtituendi, et quae cum his connexa ſunt, nec non effectuum, adnexo quodam ad cauſam hanc faciente reſponſo.

§. III.

Quid heres ſit et hereditas, quotuplici ſenſu veniat tam Romanis quam Germanis, quotuplex ejus cauſa, quid teſtamentum, quid heredis inſtitutio et quotuplex, vt pro diuerſitate Romani et Germanici iuris prolixe exponam vna cum generalioribus circa heredis inſtitutionem vniuerſim conſideratam differentiis, opus non eſt: ſiquidem haec omnia ablego ad *citatam* DNI PRAESIDIS *Diſſertationem a §. 2. ad* §. *17.* cuius veſtigia hac vice premere liceat. Illud ſaltim indicandum, quid ſub heredis inſtitutione neceſſaria ſit intelligendum. Haec ſi preſſe ſumatur ſecundum iuris Romani noviſſimi normam, eſt deſignatio perſonae euiusdam ex legis ciuilis praecepto in heredem directum, ſub praeiudicio vt effectu careat, facienda, niſi perſona iſta legitime exheredetur.

Quid heredis inſtitutio neceſſaria.

§. IV.

§. IV.

Quid exheredatio et praeteritio.

Vt vero rectius inire poſſimus rationes noſtras, paucis adhuc notamus, quid ſit exheredatio, quid praeteritio, quae ab illa differt. Exheredatio quidem proprio ſenſu eſt expreſſe declarata excluſio a legitima ſucceſſione directa in vniuerſum defuncti ius. Praeteritio autem eſt ſilentium de perſona quadam in diſpoſitione ſucceſſionis directa in vniuerſum defuncti ius.

§. V.

Axiomata.

Facile ex his liquet, 1) quod inſtitutio ſit, non praeteritio multo minus exheredatio, ſi quis ſucceſſor in vniuerſum ius denominatus ſit, quamuis pro parte minima: ſi modo ſit pars quota, non tantum queant, vti loquuntur, hereditatis. Vnde protinus fluit 2) eſſe inſtitutionem, quanquam legitima integra non ſit relicta. Haec enim conſiſtit in portione lege definita, liberis et parentibus inuicem nec non certo caſu fratribus et ſororibus ſine onere relinquenda, *L. 6. C. de inoffic. teſtam. Nou. 1. praef.* §. 2. *Nou. 89.* §. *3.* aſt portiones inſtitutionum vniuerſim lege definitae non ſunt. §. *4. inſt. de hered. inſt.* Simulque apparet 3) non eſſe prorſus eandem heredis inſtitutionem neceſſariam cum neceſſitate relinquendi legitimam, etſi ad minimum iure nouiore, non niſi is, cui legitima debetur, neceſſario inſtituendus ſit, quod etiam vel ex eo apparet, quod, cui legitima debetur, in minima parte inſtitutus, imo frater cui aliquid quocunque etiam legati titulo relictum, ſaltim ad ſupplementum legitimae agere queat *Nou. 115. c. 3. iuncta L. 30. C. de inoffic. teſtam.* Exaduerſo 4) le-

Digitized by Google

4) ſequitur, exheredationem nihilominus obvenire et locum habere poſſe, licet exheredato legatum vel fideicommiſſum ſit relictum. Nec minus certum eſt, 5) ſi cui fideicommiſſum vel legatum datum de eodem tamen ſileatur quoad ſucceſſionem directam in vniuerſum defuncti ius, vt nec directe inſtitutus nec exheredatus ſit, praeteritionem eſſe.

§. VI.

Conſideremus nunc rem diſtinctius ſecundum diuerſitatem iurium. Et quidem naturalia iura, ſi officia iuſti perfecte obligantia reſpiciamus, de neceſſitate quasdam perſonas heredes inſtituendi vel exheredandi vel quoque legati aut fideicommiſſi, aut alio titulo partem bonorum poſt mortem relinquendi, adeoque de legitima eo minus quid perhibent, quo magis naturale eſt, voluntatem domini, rem ſuam in alterum transferre ſtatuentis, ratam eſſe: idque ipſa dominii indoles innuit, quod, ſaltem ſi illibatum ſit, liberam de re diſponendi facultatem continet, ſiue id fiat inter viuos, ſiue mortis cauſa; neque enim omnem teſtamenti factionem a iure naturali alienam eſſe exiſtimo. Licet ergo hoc iure cuiuis teſtatori proximos quoque neceſſarios quoscunque in teſtamento praeterire ſilentio ſine omni periculo irritae voluntatis, mero domini arbitrio relicto, quem pro ſua affectione bonis ſuis velit honorare. Equidem inficias non ibo, quod naturali ratione imprimis amorem debeamus et beneuolentiam, et beneficia proximis neceſſariis, imo quibus-

Quid iuris naturae ſit in heredis inſtitutione.

 dam

dam eorum etiam ad gratitudinem nos eſſe obligatos fateor; quod, cum illud quis velle praeſumendus ſit, ſucceſſionis inteſtatae cauſam conſtituit. Verum partim haec obligatione ſola imperfecta nituntur, unde nondum ſequitur, irritam eſſe diſpoſitionem, quae ab ea recedit, partim non ſunt perpetua, ſiquidem non raro indignos ſe reddunt amore noſtro iuncti nobis ſanguine, extranei autem ſaepe melius de nobis ſunt meriti, partim quoque praeſumtio amoris veritatis contrariae declarationi per teſtamentum factae cedit. Neque huc pertinet exactio alimentorum, ſiue a viuente, ſiue ex mortui bonis: quippe quae nec hereditatis iure debentur nec in parte eius quota eaque determinata conſiſtunt, ſed longe alio ex fundamento deducenda. Tota itaque cauſa heredis inſtitutionis neceſſariae aeque ac exheredationis certo quodam modo expreſſe declarandae redit ad conſtitutionem iuris ciuilis, quod imperfectae obligationi amoris beneficientiae et gratitudinis ſuo modo et certarum perſonarum intuitu vim perfectae obligationis indidit, relictis ceteris ſoli beneuolentiae diſponentis.

§. VII.

Quid iuris Romani generatim?

Sane priſca iura Romana ſecundum tenorem legum XII. tabularum, ex quo ita ius erat, vti paterfamilias de pecunia tutelaue ſuae rei legaſſet, illimitatam patribus per immenſam eorum poteſtatem indulſerat facultatem liberos in poteſtate exiſtentes pro arbitrio inſtituendi, exheredandi, praetereundi *pr.*

Inſt.

Inſt. de Exheredatione liberorum L. 11. D. de Suis et legit. hered. L. 120. D. de Verb. ſignif. emancipatis vero vti et inter matrem et liberos nequidem ab inteſtato ſucceſſio competiit, *§. 3. Inſt. de Heredit. quae ab inteſt. pr. Inſt. de SCto Tertulliano, et tot. Tit. Inſt. de SCto Orphitiano.* At dura haec et humanitati non raro aduerſans patrum licentia ſequiori aeuo ſenſim temperata eſt: praeſertim cum patres per liberos, et quidem maxime per filios acquirerent, adeoque diuitiae patrum non raro aut natae, aut auctae eſſent ex acquaeſtu per filios, praeter quae etiam ad familiae conſeruationem quidam habitus fuit reſpectus. Quapropter priſci iuris ſcita partim per querelam inofficioſi, interpretatione et fori vſu introductam, partim per bonorum poſſeſſionem contra tabulas a praetoribus datam, partim quoque legibus ipſis, imprimis etiam ſtabilita portione legitima, ſunt mitigata, ita vt diſpoſitiones vltimae in contrarium euntes hiſce mediis infirmarentur. Verum tamen ex rationibus modo propoſitis diſcrimen habebatur praecipue ſexus atque ſuitatis, ſufficiebatque ſi legitima quocunque, vel legati quoque aut fideicommiſſi titulo relinqueretur, vti et ordo edicti ſucceſſorii obſeruabatur. *Pr. Inſtit. de Exheredat. liberor. L. 4. C. de Liber. praeterit. et exhered. L. 8. §. 6. D. L. 27. et 30. C. de Inoffic. teſtament.* Poſtquam vero antiqui iuris ratio hac in cauſa maximam partem deficiebat, ita vt nec ſingularis familiarum conſeruandarum fauor magni haberetur, nec adeo magnae obuenirent diuitiae patribus ex acquaeſtu per filios *ſuos*, tot

peculiorum ſpeciebus acquaeſtum patris per filiosfamilias imminuentibus, patriaque poteſtate ciuili ferme ad modulum poteſtatis naturalis redacta, atque ſublata vera indole emancipationis antiquae, et ex aduerſo, vt cognati mediante bonorum poſſeſſione, per indirectum ad hereditatem admitterentur, obligatio liberorum erga parentes ad gratitudinem in aliis quoque cauſis iamiam perfecta reddita et ſucceſſio in bona matrum imo vtriusque parentis in bona liberorum per SCtum Tertullianum et Orphitianum correcta eſſet: optimo iure nec ſine humanitatis ratione ad odium implacabile auertendum, quod in proximis neceſſariis ſuſcitatur praeferendo extraneos in hereditate, illis excluſis IMPERATOR IVSTINIANVS veteris iuris placita ita emendauit, vt officia beneuolentiae et benefaciendi intuitu certarum perſonarum in officia perfecte obligantia transtulerit *Nou. 22. et 115. c. 3. et 4.* tum legitimam illis illibatam ſtatuendo tum heredis inſtitutioni neceſſariae et exheredationi modum certum figendo, cui acceſſit adhuc correctio edicti ſucceſſorii *per Nou. 118.* facta. Idcirco heredis inſtitutio neceſſaria, et exheredatio nouiſſimo iure Romano imprimis diiudicanda eſt ex iſta iuris antiqui hereditarii emendatione *per Nou. 22. 115. et 118.* facta, ſiue ea diſerte facta ſit, ſiue per conſequentiam, mutatis ſcilicet principiis priſtinis, vnde leges, quae tanquam principiatum ſeu concluſiones inde deriuatae, ſimul correctae ſunt aeſtimandae (§. 1.)

§. VIII.

§. VIII.

Summa immutati huius iuris eſt, 1) Quod ex deſcendentibus et adſcendentibus illi, quibus ſecundum praerogatiuam ſucceſſionis inteſtatae tempore conditi teſtamenti legitima debetur, ceteris teſtamenti requiſitis obſeruatis, ſub nullitatis praeiudicio non praetereundi, ſed expreſſe et ſine onere legitimae heredes inſtituendi, deficiente exheredandi cauſa, 2) vel expreſſe adiecta legitima cauſa exheredandi, quod *rite* exheredare dicunt, 3) eaque cauſa poſtea appareat eſſe vera, alias enim *inique* exheredatio facta et teſtamentum inofficioſum dicitur: 4) fratribus autem et ſororibus tunc ſaltem, ſi ingrati non fuerint, et tamen turpis perſona ipſis praeferatur, legitima debetur, quocunque titulo relinquatur, alias teſtamentum iterum eſt *inofficioſum*. 5) De cetero autem omnia pendent ex beneuolentia teſtatoris perfecta obligatione deſtituta. Axiomata.

§. IX.

Germaniam quod attinet, in ea antiquiſſimis temporibus prorſus exularunt teſtamenta, vel ipſo teſte TACITO *de Moribus Germ. cap.* 20. Bona potius proximis relinquenda erant neceſſariis IDEM *cit. loc.* adeo vt in horum diſſentientium praeiudicium nequidem bona, quae quis ipſe proprio marte vel fortunae beneficio acquiſiuerat nec hereditatis iure acceperat, ſimulata donatione inter viuos in extraneum transferre poſſet de morte cogitans eique vicinus: cuius Quid Germanici?

Digitized by Google

rei ſi ſuſpectus haberetur donator, fraudis ſuſpicionem ſanitate corporis probata amoliri tenebatur. Et quamuis pacta ſucceſſoria, quae nunc acquiſitiua audiunt, Germanis iam antiquitus fuerint vſitata, eaque idem praeſtare dicantur quod teſtamenta Romanis: haec tamen citra neceſſariorum conſenſum in detrimentum ſucceſſionis ex ſanguinis iure non valuerunt, et in ſubſidium ſaltem, familia ſcilicet deficiente, ſunt adhibita imprimis familiae totius conſenſu. Tantae ergo religionis habitum fuit ſtudium in proximos neceſſarios, vt ad perfecta officia illud pertinere crederetur nulla arte violanda. Interim tamen olim ſingularis inſita fuit noſtris familiarum conſeruandarum cura, quamuis non vbique nec ſemper eadem, per quam filios praeſertim in immobilibus praeferendos iudicabant filiabus, quibus alimenta ſaltem pro conditione ſua dabantur, has vero agnatis reliquis, alii autem hos quoque praeferebant praecipue filiabus nuptis vt harum ſucceſſio ſaltem eſſet ſubſidiaria. Fruſtra ergo operam collocares inueſtigando rationes heredis inſtitutionis neceſſariae, exheredationis et praeteritionis, de iure Germanico antiquo, quae locum non inueniunt vbi nullus teſtamento locus. Neque enim ſtatim pro heredis inſtitutione neceſſaria venditari poteſt negatio poteſtatis diſponendi de bonis neceſſariorum cauſa: neque ſic exheredatio concipi poteſt. Equidem minime negamus parentibus Germanicis vi poteſtatis naturalis vtrique parentum communis, olim fuiſſe ius liberos a ſceleribus incorrigibiles expel-

pellendi: an vero exinde ſequatur excluſio ab omni hereditate, eo magis dubito, quo minus id admittunt modo deducta, ſecundum quae parentibus quondam nequidem licuit alienare bona hereditaria absque liberorum conſenſu. Nec eiusmodi excluſio multo minus exheredatio colligenda mihi videtur ex relatis in TACITI *Annalib. L. I. cap. 57. ſeq.* de SEGESTIS filia, quae patris ingratiis ARMINIO nupſerat, aut ex vindicta quam IDEM *de Moribus Germ. cap. 19.* exponit mariti in uxorem adulteram. Quo enim modo idem eſſe dixeris, quod pater SEGESTES filiam ſuam Arminii uxorem a Romanis captam neque tamen ipſam victoribus ſupplicem non deprecatus ſit apud Romanos, de quo priori loco TACITVS narrat, vel, de quo EIDEM poſteriori loco ſermo eſt, diuortium, quo maritus adulteram coniugem e domo expellit cum ignominia, et ius exheredandi ſeu adimendi ſucceſſionem? Sequioris demum aeui eſt, quod *Speculator Sueuicus Iure Prouinc. cap. 253.* ad amiſſionem hereditatis legitimae imo bonorum adhuc viuentis ex *Nou. 115.* de cauſis ingratitudinis abſone transſcripſit. Verum enim vero paulatim teſtamenta in Germaniam ſunt recepta a Romanis, quod quemadmodum contigerit, prolixius et appoſite exſecutus eſt HEINECCIVS *Elementis iur. German. Lib. II. Tit. 7.* Hoc facto non potuit non maior libertas diſponendi de bonis tam inter viuos, quam mortis cauſa invaleſcere valdeque immutari ratio ſuccedendi ab inteſtato, cum parum congrueret, vltima voluntate bona in extraneum tranſire, filias

Digitized by Google

filias vero vel cognatos ab iisdem debere excludi. Certum tamen quod Germani non vbique aeque faciles fuerint in recipiendis teſtamentis, quorum tenaciores nonnulli morum exſtiterunt priſtinorum. Vnde tam in ſucceſſione legitima priſtini iuris rudera in quibusdam ſuperſunt locis, ex quibus filiorum et filiarum agnatorum et cognatorum adhuc diuerſa eſt conditio, quam in pactis ſucceſſoriis reliquiae ſunt conſpicuae, vti et in ipſa diſponendi de bonis poteſtate ſiue mediante pacto ſucceſſorio ſiue per teſtamentum non omnes aeque migrarunt patrios mores, qui potius iuribus prouincialibus vel ſtatutariis quibusdam confirmati ſunt, quod argumentum cum ſatis iam ſit expoſitum a ſupra laudato HEINECCIO *in Diſſert. de Teſtamenti factione iure German. arct. limit. paſſim circumſcript.* ſummatim ſaltem allegandum eſt, cum quod affine quid habeat cum cauſa quam tractamus, tum quod inſtitutio neceſſaria ſingularis alicubi inde nata ſit, tum denique quod in cauſa ſit, cur heredis inſtitutio neceſſaria ex iure Romano ſuo modo etiam in Germania obtinere coeperit. Praeterea autem illud omittendum non eſt, quod teſtamentorum receptio ita apud nos aeſtimanda ſit, vti de caetero analogia iurium noſtrorum illud admittit, quo contradictoriarum theſium opprobrium noſtra euitet iurisprudentia.

§. X.

Axiomata. Hinc admixto ad Germanicos mores teſtamentorum iure, iſta maximopere conſideranda veniunt mo-

momenta. 1) Minime ad heredis inſtitutionem neceſſariam pertinet neceſſitas legitimis heredibus ſeu proximis ſanguine iunctis relinquendi bona, de quibus ex reliquiis antiqui iuris Germanici in illorum praeiudicium diſponere non licet; vtut multi haec inuicem miſceant: ſed detrahenda ſaltem ſunt talia bona, ſalua caeterum heredis inſtitutione ipſa: 2) niſi forſan ius prouinciale vel ſtatutum ſanxerit, vt expreſſe per diſpoſitionem vltimam alicui adſcribantur ſub poena nullitatis 3) Ex aduerſo quoque liquet, quod exheredatio talia bona prorſus non concernat, niſi iura particularia plus indulſerint 4) Qui ad ſucceſſionem non admittuntur, vel ex pacto renunciatiuo, vel ex ſtatuto, vel ex retentione morum antiquorum, ſiue abſolute non admittantur, ſiue ita vt ſaltem eorem ſucceſſio ſit ſubſidiaria, caſus eius tamen nondum exiſtat, recte praetereuntur ſilentio: qua in re tamen cum Latii iure Germanicum non ſemper conuenit. Quae autem 5) his debentur alimenta, dos, apanagium, huc non pertinent. 6) Alias quidem circa heredis inſtitutionem neceſſariam, exheredationem et praeteritionem ſequimur Romana §. 8. expoſita, ſed ſecundum analogiam iurisprudentiae Germanicae applicanda. Sic α) ratio haberi debet eorum quae inde dependent, quod vtrique parentum Germanicorum eadem ſit in liberos poteſtas β) tutelae naturalis eiusque fructuariae, γ) nec non communionis bonorum inter coniuges vel inde reliqui vſusfructus maritalis, quae in hac cauſa aliquando momentum aliquod faciunt. Sic, δ) quam IMPERA-

Digitized by Google

TOR CONSTANTINVS M. *in L. 15. C. de teſtament.* iam ſuſtulit verborum directorum ſubtilitatem ſtrictamque interpretationem, multo minus ad nos quadrat, qui praeſumtae voluntati diſponentium eo magis inſeruire debemus, quo magis id dexteritati Germanorum conuenit, qui ſtrictum illud Romanorum ius agnouerunt nunquam. Sic ε) aliquando contingit, vt teſtamentum cum quauis diſpoſitione poſt mortem diſponentis exitum ſortitura miſceant, aeque vti inſtitutiones et legata. Sic ζ) in cauſis exheredandi quoque Germanorum inſtituta diſcrepant a Romanis.

§. XI.

Speciales differentiae intuitu teſtatoris et heredis.

Succedunt nunc ſpecialiores quaedam obſeruationes, quae ex praemiſſis cognitu erunt faciles, et quidem primo reſpiciamus ad teſtatorem atque ad heredem. Sic 1) putant nonnulli militem in expeditione teſtantem, neque de iure Romano nouiſſimo ad liberos heredes inſtituendos teneri, nec teſtamentum eorum querela inofficioſi euerti poſſe. Id quidem minime dicendum videtur poſt *Nou. 115. c. 3.* Licet enim diſſentientes obmoueant, quod lex poſterior generalis non tollat legem priorem ſpecialem: hoc tamen neutiquam admittendum ſi lex poſterior generalis ita late pateat vt principia quoque legis prioris ſpecialis euertat. Illud autem factum in hac cauſa, exinde apparet, quod antiquitus militum ius in eo ſaltem conſtiterit, militis ſcientis praeteritionem idem praeſtare potuiſſe, quod pagani exheredatio

Digitized by Google

datio expreſſa. *§. 6. Inſt. de exhered. liberor.* Verum poſtquam *Nou. 115. c. 3.* cauſas conſtituit expreſſe adiiciendas exheredationi liberorum et parentum: non amplius praeteritio ſcientis idem efficere poteſt, quod exheredatio expreſſa. Quidquid vero horum ſit; in Germania antiqua nunquam tali iure ſingulari gauiſi ſunt milites, qui non magis, quam alii liberis ſucceſſionem interuertere poterant, vt adeo ad nos non pertineat canon, nouam legem generalem, non tollere legem ſpecialem anteriorem. Certe illimitatum illud ius nimis recedit a priſtinis moribus patriis. Quo poſito non opus eſt conſilio quorundam, vt praeteritis liberis contra teſtamentum paternum ſubueniatur querela inofficioſi, vtpote cui eadem obſtant dubia, quam querelae nullitatis. Pariter 2) ambigunt an ex *Nou. 115. c. 4.* filiusfamilias in peculio caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi parentes inſtituere tenatur? quod iterum nonnulli abſolute, alii vero tunc ſaltem negant, ſi iure militari teſtetur. Sed quoad Germaniam partim reſponſum iam eſt in dictis *num. praeced. 1.* partim vero inanis eſt quaeſtio per ea, quae DNVS PRAESES tradidit *Diſſ. de Differ. Iur. Rom. et Germ. in Peculio.* Sunt 3) qui emancipatos nihil mali meritos, aduerſus teſtamentum paternum bonorum poſſeſſione contra tabulas indigere exiſtimant Quod iterum cum *Nou. cit.* non conuenit. Sed multo minus ad Germaniam quadrat, deſtituta emancipatione Romana, et in qua per ſeparatam oeconomiam ſui iuris facti, iura agnationis atque familiae paternae non amittunt; adeo vt olim

Digitized by Google

non ſolum, ſed in multis locis adhuc in deſcendentes etiam ſui iuris factos, poſſeſſio hereditatis ipſo iure tranſeat. Quapropter non recte inſtituti ſed praeteriti, vel non rite exheredati, teſtamentum nullitatis arguunt, ſi rite quidem et inique exheredati querela inofficioſi utuntur, nec bonorum poſſeſſione indigent. Quodſi vero ſeparatio liberorum facta ſit cum renunciatione vlterioris ſucceſſionis, aut ſtatuta ſeparatos a ſucceſſione excludant, tunc praeteritio eorum adeo valida eſt, vt contra hanc, nec contra exheredationem bonorum poſſeſſio contra tabulas aliquid valeat. Iure quidem Romano 4) filiifamilias pactum cum patre de non mouendo querelam initum, nihili erat. *L. 35. §. 1. C. de Inoffic. teſtam.* adeo vt prioribus in querela deficientibus, vel eandem mouere nolentibus ſequentes ſuo ordine admittantur, atque vno repudiante, pars eius reliquis eam mouentibus accreſcat, *L 17. pr. et L. 23. §. vlt. eod.* quin frater ex perſona fratris praeteriti in praeteritionem conſentientis bonorum poſſeſſionem contra tabulas mouere poterat. Haec autem aliena ſunt omnia a Germanorum moribus, quibus ſecundum naturalem rationem pacta ſucceſſoria renunciatiua etiam iniurata valent, ſi modo per aetatem conſentire poſſit renuncians. B. BOEHMERVS *Diſſ. Fundam. pactor. famil. ad fideicomm. inclin.* quibus adde quae habet BEYER *Delin. iur. ciu. ſecund. ordin. Pand. Tit. de inoffic. teſt. poſ. n.* Idque eo magis verum eſt, quo magis Germani pactis ſucceſſoriis reuunciatiuis ſequiori aeuo inprimis vſi fuerunt, vt obuiam

Digitized by Google

obuiam irent iuri Romano, ex quo ſucceſſio inteſtata ſecundum ordinem *Nou. 118.* inualeſcebat, contra rationem iuris patrii, natu minores in quibusdam bonis et filias ad ſucceſſionem aequali iure cum primogenito et filiis non admittentis. Sequitur ergo quod renuncians ex iure Germanico, nec inſtituendus, nec exheredandus ſit praeciſe, ſed ſilentio praeteriri queat, nec quenquam ex eius perſona querelam, aut nullitatis, aut inofficioſi, aut bonorum poſſeſſionem contra tabulas mouere poſſit, in praeiudicium eius, cuius in fauorem renunciatio facta eſt. Idem 5) iudicium obtinet, de perſonis, quae ex reliquiis antiqui iuris Germanici adhuc in quibusdam locis a ſucceſſione, ſaltem quoad certa bona, excluduntur, ita vt hoc reſpectu, nec inſtitutione, nec exheredatione opus ſit; ſiquidem alimenta, dos, apanagium, ad heredis inſtitutionem non pertinent; quanquam non negem, conſultius eſſe, vt de his diſerte caueat teſtator vltimo ſuo iudicio, ne vero modum pactis familiae dictum hac in re excedat. Econtrario 6) in bonis, quae diſpoſitioni vltimae obnoxia non ſunt, nequidem bona mente facta exheredatio locum habet. Iura tamen prouincialia aliquando ex quibusdam indignum quendam iudicant, eiusmodi etiam hereditate, in proximum tunc, alibi in fiſcum, transferenda. 7) Legitimati iure Romano a patre erant neceſſario inſtituendi, vel legitimo modo exheredandi. Cum vero in Germania non omnis legitimatio tribuat iura familiae paternae, nec ſic ſucceſſionem, ſed legitimatio per ſubſequens matrimonium ſaltem

 hunc

Digitized by Google

hunc producat effectum, niſi et huic imparitas coniugum, et matrimonii morganatici indoles obſit; facile eſt, iudicatu, legitimationem ad effectum ſuccedendi non factam, nec producere neceſſitatem inſtituendi aut exheredandi, nec ſic ius nullitatis, aut inofficioſi vitii teſtamentum accuſandi. Quod 8) ad matrem attinet et adſcendentes maternae lineae expeditum eſt, ab iis liberos naturales quidem eſſe inſtituendos aut exheredandos, minime autem adulterinos alioſue ex damnato coitu natos, quippe quibus ne alimenta quidem debentur iuxta. *Auth. Ex complexu C. de inceſtis nuptiis*, iuncta *Nou. 89. cap. vlt.* Quemadmodum vero a diſpoſitione hac inhumaniſſima, ex cerebrina prudentia legislatoria profecta illarumque rerumpublicarum, quae deſtituuntur berephotrophiis ſufficientibus, ſaluti aperte aduerſa, non ius Canonicum ſolum, *cap. 5. in fin. X. de eo qui duxit in matrim. etc.* ſed iudicia etiam Germanica cum eodem et naturali ratione diuortium faciunt: ita etiam de inſtitutione et exheredatione idem dicendum eſſet, cum filii naturales, qui inſtituendi, vel exheredandi, apud nos aeque ſint ex coitu damnato ac illi, concubinatu per Imperii leges ſub poena publica reprobato *Reform. polit. de ao. 1548. Tit.* von leichtfertiger Beywohnung, atque exoleuerunt, quae habet *ius prouinciale Sueuicum cap. 166. cum iure prou. Sax. L. art. 51. et L. 3. art. 72.* Satis notum eſt 9) quod in fratribus non opus ſit inſtitutione, exheredatione vel legato, ſi honeſta illis praeferatur perſona: ſi vero perſonam turpem teſtator illis praetule-

tulerit, nec quicquam iisdem reliquerit, agere poſſunt de inofficioſo teſtamento reſcindendo. Verum enim vero diſſentiunt admodum ICti, quibus fratribus facultas impugnandi eiusmodi teſtamentum competat de iure Romano. Alii inſiſtunt puro veteri, vt ſolis germanis et conſanguineis, neutiquam vterinis poteſtas agendi data ſit, quod ius antiquum in *L. 27. c. de inoffic. teſtam.* contentum nouo iure correctum non ſit. Quoniam autem ius mouendi querelam, edicti ſucceſſorii ordinem ſequitur, id vero per *Nou. 118.* ita emendatum eſt, vt vterini, qui olim tanquam cognati ſecundum ius ciuile ſtrictum ad ſucceſſionem non vocati, conſanguineis prorſus ſint exaequati: alii rectius vtrosque in querela mouenda eodem iure cenſent, niſi quod bonorum paternorum, maternorum, et proprii adquaeſtus diſcrimen, vti in ſucceſſione inteſtata ſit ſeruandum B. BOEHMERVS *Diſſ. de querela inoffic. fratr. conſanguin.* Dubium quidem mouent, quod a iure ſuccedendi ab inteſtato ad inſtitutionem neceſſariam et querelam inofficioſi conſecutio nulla ſit. Sane concedimus quod eiusmodi collectio ſimpliciter non procedat; attamen nec ita argumentantur diuerſe ſentientes, ſed in eo eſt argumenti vis, quod exaequatum ſit ius ſuccedendi vterinorum et conſanguineorum; niſi quoad bonorum diſcrimen: quod momentum non tangitur iſto ſcrupulo. Grauius dubium eſt, an aequali iure hac in cauſa gaudeant vnilaterales cum germanis, imo num germanorum liberi prorſus negligendi, vel potius duplicitatis vinculi et repraeſen-

ſentationis iure praeferendi. Certe ex *L. 27, C. de inoffic. teſt.* et horum ratio non habebatur et conſanguinei cum germanis ſimul veniebant, vti in ſucceſſione inteſtata ipſa, in qua ſola agnatio proxima attendebatur, indigitante IMPERATORE *§. 1. et 3. Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ.* At mutato hoc iure poſthabitis vnilateralibus, datoque iure repraeſentationis fratrum liberis, aut vnilateralibus neganda prorſus eſt querela, aut poſtponendi ſunt non ſolum germanis ſed etiam horum liberis, hisque actio non neganda, quod aequius et analogiae conformius eſt, aut non cohaeret iurisprudentia. In Germania res diſtinctione indiget: nam vbi Romana ſucceſſio ex *Nou. 118.* inualuit, ſtatuendum mihi videtur ſecundum ea quae dicta ſunt; vbi vero adhuc obtinet antiquum illud axioma *I. P. S. Lib. 11.* ungezweietter Brůder Kinder ſein gleich nahe dem gezweietten Bruder, an Erb zu nehmen, ibi germanorum liberi cum fratribus vnilateralibus pari paſſu ambulant. Sic quoque ex ordine ſuccedendi inteſtato iudicandum de concurſu fratrum cum parentibus in querela. Caeteri conſanguinei 10) iure Romano licite praetereuntur, non vero vbique in Germania, vbi etiam 11) in nonnullis locis cauſae piae aliquid relinquendum ſub nullitatis periculo, quod vberius expoſuit HEINECCIVS *Diſſ. ſupra citata §. 28. et 29.* Coniuges 12) quidem nec de iure Romano, imprimis ceſſante conuentione in manum, nec de iure Germanico inſtituendae vel exheredandae: attamen quicquid hoc iure ſuperſtiti coniugi, vel vi pactorum dotalium,

vel

Digitized by Google

vel ex communione bonorum vel pro ſtatutaria portione debetur nec exheredatione interuerti poteſt, ſed ſeparandum a bonis diſpoſitioni liberae defuncti obnoxiis. Conſultum ergo eſt, quo expreſſe illud ſuperſtiti deputetur in teſtamento, vt occaſio euitetur diſputandi de valore teſtamenti.

§. XII.

Perpendamus nunc quoque paucis obiectum. Hoc 1) de iure Romano eſt vniuerſitas iuris quanquam pro parte minima, modo ſit pars quota: qualis etiam eſt ſi teſtator quotae adiiciat ſummam facta aeſtimatione totius patrimonii, aut res ſtatuta earum aeſtimatione in quotam heredi cuidam dandas, quo ipſo teſtator bona ſimul diuiſit. Aliud dicendum, ſi ſimpliciter ſumma aut res ſingulares datae ſint. At iure ſtatutario in quibusdam Germaniae locis nequidem heredis inſtitutio ad teſtamentum requiritur, ſed ſufficit ſummam quandam legaſſe, docente HEINECC. *cit. Diſſ. §. 28. et. 31.* Dein 2) ad obiectum inſtitutionis et exheredationis non pertinent bona, quae diſpoſitioni defuncti non obnoxia, qualia in nonnullis locis ſunt bona hereditaria et auita Erb- und Stamm-Güther, bona ex iuribus prouincialibus reuertentia ad familiam, unde prouenerunt, worin der Rückfall ſtatt hat, res vtenſiles et expeditoriae, die Gerade und das Hergewette: interea tamen etiam de his repetenda ſunt dicta *§. praec. n. 12.* nec huc pertinent 3) bona ad quae perſona, quae teſtamentum oppugnat, ſucceſſionis inteſtatae iure de obiecto

 ad-

adſpirare nequiuit. Sic in quibusdam locis in praediis nobilibus foeminae adhuc non niſi in ſubſidium admittuntur ſecundum §. *9. et 10.* in aliis locis in praediis quoque ruſticis pro quibus operae ruſticae praeſtantur, et agris ad illa pertinentibus, idem obtinet, inter filios et filias, ita vt filiae nubentes ſaltem congrua dote ſint elocandae, ſiquidem alias frater, qui villam, den Hoff, retinet, impar fieret oneribus inde domino praeſtandis. Secus vero eſt in agris, quae ad praedium tanquam acceſſorium non pertinent, ſed aliunde acquiſiti diuerſos antea habuerunt poſſeſſores, quos agros inde ambulatorios dicunt, ita vt diſtinguere ſoleant inuicem dienſtpflichtige Aecker, und wolckenflüchtig Land.

§. XIII.

de modo inſtituendi et exheredandi

Porro quaedam de modo obſeruanda veniunt. Heredis inſtitutio 1) debet eſſe deſignatio ſucceſſoris in vniuerſum ius defuncti. Sed praeter dicta §. *praec. n. 1.* adhuc monendi ſumus, quod Germani in vita communi verborum non adeo curioſi ſint, vt vocibus vermachen, ſchencken, geben, quanquam a ICtis haberi ſoleant pro verbis titulum ſingularem indicantibus, non raro abutantur in heredis inſtitutione, vtpote quae ex obiecto vniuerſali ſatis conſpicua eſſe poteſt, praeſertim cum etiam Romano iure ex *L. 15. C. de Teſtamentis* magis praeſumta teſtatoris voluntas quam verba directa debeant attendi. Adhaec 2) leges Romanae requirunt, vt inſtitutio vel exheredatio fiat expreſſe. Sed ideo non ſtatim requiritur

vt

vt fiat explicite: cum implicite dicta pariter expreſſe declarata ſint; id quod ex *L. 15. cit.* abunde fluit. Maxime in Germania voluntatis potius quam verborum ſolennitatis rationem habendam eſſe, fuſius docuit DNVS PRAESES *Diſſ. de Differ. I. R. et Germ. in heredis inſtitut. volunt.* § *8.* vti 3) EVNDEM adire poteris in quaeſtione de conditione inſtitutioni neceſſariae aut exheredationi adiecta, de qua *cit. Diſſ.* §. *24.* ad amuſſim *Lgis. 15. C. de Teſtam.* egit. Quamuis enim IMPERATOR ALEXANDER SEVERVS in *L. 4 C. de Inſtitut. et ſubſtitut. etc.* clare ſanxerit, quod iure teſtatus non videatur, qui filium, quem in poteſtate habet, ſub conditione heredem ſcripſit, nec in defectum eius exheredauit: conſtitutioni tamen huic ad verba directa adhuc reſpicienti re vera derogauit ſanctio CONSTANTINIANA in *L. 15. cit.* Addenda adhuc quaedam 4) de cauſis exheredandi. Pleraque huc pertinentia iamiam propoſuit. THOMASIVS *Diſſ. de Noricorum cauſis adimendi legitimam*, quorſum lectorem ablego, et tantummodo nonnulla adiicio. Nimirum 1) cum iure Romano quidem foeminae interceſſionis prorſus incapaces iudicarentur, quin eadem ipſis antiquitus prohibita eſſet, quod pari modo in Germania non obtinet, vbi partim in multis locis SCtum Velleianum plane non attenditur, partim vbique via datur foeminis valide intercedendi, renunciatione SCti imprimis iurata: ideoque non video, cur exheredandi cauſa, in filiabus, nou aeque debeat eſſe ac in filiis, redemtionis ex carcere vel captiuitate neglectus. Deinde quae

Nou. 115. de filia minorenni vitam meretriciam matrimonio praeferente cauit, gratia facta filiae maiorenni a patre non elocatae in corpus peccanti, pertinere mihi videntur ad laſciuiam Italorum a) minus decentia caſtitatem Germanorum, quibus ſemper ſera fuit pubertas, ſera matrimonia, vt verear, ne iniurioſam habiturae ſint virgines ſententiam, qua vltra annum vigeſimum quintum virginalem caſtitatem ſeruare non teneantur. Isque Latinae caſtitatis terminus ibi multo minus attendi poteſt, vbi exheredationis cauſam quoque dant nuptiae invitis parentibus contractae, nullis temporum cancellis incluſae. Quin b) vbi matrimonium ſpreto parentum conſenſu contractum cauſam exheredandi dat, multo magis ſolum ſtuprum longe turpius illo exheredandi ius efficiet, aeque vti c) conſenſus filiae in raptum. Attamen in alia omnia eo, ſi a) liberi conſenſum parentum honeſte implorauerint in matrimonium, hi vero eundem ſine iuſta cauſa denegauerint, indeque conſiſtorium imploratum a liberis, parentibus tamen auditis, conſenſum ſuppleuerit: ſiquidem ſaluti reipublicae non conuenit, ſoli parentum arbitrio permittere matrimoniorum ineundorum facultatem. Sic b) corruit cauſa iſta, ſi parentes in gratiam redierint cum filia ſtuprata, quae nupſit illis inuitis, quae in raptum conſenſit raptoremque in maritum accepit. Sic c) cauſa exheredandi deficit ſi parentes fraude matrimonia liberorum impediuerint, indeque ipſi occaſionem dederint peccatorum et turpitudinis: ſola enim negatio conſenſus ſufficere mihi non videtur, cum honeſtior via aperta

